



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Crisis Theologica**

**Cárdenas, Juan de**

**Sevilla, 1687**

Cap. II. Quoties teneamur elicere actum Fidei de Trinitate, & Incarnatione?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

præceptum ] Affirmatque omnes tres sensus esse falsos; sed duos posteriores contineri sub hac damnatione, non autem primū. Quia non constat de obligatione præmittendi actum Fidei receptioni Sacramenti Pœnitentiæ. Et in primis hæc duo non cohærent, & quod sit falsum, quod [ postquam homo semel credidit, non tenetur præmittere actum explicitum Fidei reliquis confessionibus ] & quod [ non constat de tali obligatione præmittendi hunc actum Fidei confessionibus. ] Quomodo enim dabitur talis obligatio si de eâ non constat? Quod si non datur talis obligatio, quomodo erit falsa propositio, quæ negat eam obligationem?

2. Deinde; ille primus sensus non cadit in propositionem damnatam; quæ nihil dicit de præmittendo confessionibus, aut non præmittendo actu Fidei explicitæ horum duorum mysteriorum.

3. Secundus sensus cadit in eam propositionem damnatam, eo quod est quædam consequentia ex propositione antecedenti illata. Nam ex eo, quod dicatur esse capacem absolutionis eum, qui culpabiliter ignorat hæc duo mysteria, colligitur, esse capacem absolutionis, qui semel ea mysteria credidit, quamvis accedat ad confessionem oblitus, & ignarus eorum, & idè in hoc sensu damnata manet ea propositio. Et quam merito iure damnata sit, constat ex Disertatione præcedenti.

4. Quare tertius sensus relatus est præcipuus huius propositionis damnatæ: scilicet sufficere ad implendum præceptum Fidei de his mysterijs illa semel credidisse. In quo sensu damnatur, & merito hæc propositio. Quod manifeste probatur ijs omnibus quibus in Disert. 9. cap. 2. ad 17. prop. art. 3. probavimus, non sufficere, quod quis semel eli-

ciat actum Fidei, ut constat ex ijs, quæ ibidem perpendimus circa eum textum Pauli ad Rom. 1. quem repetit ad Galat. 3. & ad Hebr. 10. nempe *Iustus ex Fide vivit*. In lege autem Evangelica non debet christianus vivere ex Fide, qualis erat in Synagoga Hebræorum, sed ex Fide Evangelica cuius præcipua Mysteria sunt Trinitatis, & Incarnationis. Vide in loco relato reliquos textus Scripturæ, & testimonia Sanctorum Patrum Ambrosij, Arnobij, Laurentij Iustiniani, & Origenis.

## CAPV T II.

*Quoties teneamur elicere actum Fidei de Trinitate, & Incarnatione?*

## SUMMARIUM.

*Tenemur ad elicendos actus fidei horum mysteriorum frequenter.* num. 5.

*Modus facilis implendi hoc præceptum.* num. 6.

*Hos actus fidei frequenter elicimus.* num. 7.

5. **I**uxta ea, quæ diximus Disert. 9. cap. 2. dicendum est, nos teneri ad elicendos actus Fidei de his duobus mysterijs *frequenter*. Ita ut si Fidelis diuturno tempore cessaverit advertenter ab his actibus Fidei elicendis, peccabit læthaliter. Pro hac assertione loco citato retuli P. Suarium, Lugo Cardinalem, Illustiss. Petrum de Tapia, & Raimundum Lumbier. Eamque roboravi multis locis Scripturæ. Probatur assertio. Nam quilibet Fidelis tenetur ad elicendos frequenter, & sæpius, actus Fidei, ut clare ostendi, tum ex P.

Sua-

Suar.  
Lugo.  
Tapia.  
Lumb.

Suario, Lugo Card. Illustriff. Tapia, & Laimundo Lumbier: tum etiam ex multis textibus Sacrae Scripturae, & Patrum. Sed Fidelis Christianus, non tenetur dumtaxat ad eliciendos actus Fidei comodo, quo olim Hebraei in Synagoga, sed etiam ad eliciendos actus Fidei Evangelicae, cuius praecipua Mytheria sunt Triunitatis, & Incarnationis: ergo quilibet fidelis in lege Evangelica tenetur elicere frequenter actus Fidei de his duobus Mytherijs.

6. Sed ne quis existimet, id esse onerosum, reflexionem faciat supra suas actiones, & comperiet, se frequenter elicere actus Fidei de his duobus Mytherijs. Nam fidelis frequenter adest Missae Sacrificio, in quo cum Hostiam Consecratam adorat, credit ibi esse realiter praesentem Christum D. Deum pariter,

& hominem; frequenter videt imaginem Crucifixi in templis, & extra, & tunc credit, Christum D. in sua humanitate passum, & crucifixum pro nobis; frequenter se signat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & tunc credit illud Mytherium.

7. Item frequenter adest baptismis parvulorum, & audit formam baptismi, & tunc credit id Mytherium Trinitatis; frequenter audit vel recitat Symbolum, in quo continetur utrumque mytherium, & tunc illud credit. Et ita contingit in sexcentis alijs circumstantijs, quibus redundat vita Christiana. Quomodo ergo potest dici onerosum, quod tam

facile, & tam prompto animo fit à quibuslibet Fidelibus?

# FINIS

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

